

1546.

Ex M. S. Arch. Stan. Aug. Reg.

Responsum à Sigismundo Rege Patre
datum Antonio Vrantio Reginae Ca-
belle Nuncio.

Postulat à Nobis Serenissima Filia Nostra, ut
neve literis, neve verbis, sed re potius ipsa Ma-
jestatem ejus adjutam velimus, auctoritate No-
stra interposita. Atque id primo quoque tem-
pore, ne si cunctati simus serò postea medicina
paretur. Nos pro Paterno Nostro animo, nihil ma-
gis cupimus, quam ut praesto Majestati suae adsi-
mus, et rationes illius in tuto collocemus, modo ut
qua ratione succuri illi queat, et quod Majestas
ejus auctoritatis Nostrae Regiae nomine intelli-
gat scire queamus. Nam si hanc auctoritatem
interponi per nos vult, exercitum ut mittamus,
nulla est res, in qua facultates Nostras libenti-
us impenderimus, quam in salutem et dignita-
tem charissime Filiae Nostrae tuendam, sed
educi è Regno Exercitum in Hungariam Regni
Nostris Ordines non essent passuri, propterea quod
violari ea re fœdera viderentur, quam cum Cæsa-
re Turcorum Nobis intercedunt, Itaque hac ra-
tione frustra est, quod sibi succuri velit, sin au-
tem hoc vult ut mittamus aliquem ex prima-
riis Consiliariis Regni Nostris, nihil est quod sum-
mo studio facturi non simus, dummodo saluti
et dignitati charissime Filiae Nostrae consulamus.
Sed illud primum considerat, ad quem ex prima-
riis Consiliariis Nostris aliquis sit mittendus? certè
ad Monachum. Quodsi ita visum est Majestati
ejus)

157
ejus curabitur id à Nobis, sed ita ut Nostra quoque
dignitatis Regiae, rationem habuisse videatur. Nam
ut primarius Regni Nostri Senator quereat Mona-
chum in penetrabilibus Hungariae Regni, Decorum
non est, sed literis cum eo prius agendum est,
ut Cassoniam, aut in locum aliquem Regno No-
stro finitimum veniret, eo nos aliquem, ex primis
Consiliariis Nostri legaremus, nisi quod ante o-
mnia quis exitus rei sit futurus, Diligentè est ex-
pendendum, ne si magnò aliquò Oratore Missò
nichil profecissemus, fierent novissima pejora pri-
oribus. Quod si autem vult Majestas ejus ut mit-
tamus ad Caesarem Turcorum questum de inju-
ris, quibus à Monacho afficitur, id quoque facie-
mus, non invito in gratiam filiae Nostrae charissimae,
dummodo orationes illius ea re queant adjuvari, et
non major aliqua inde rerum sequatur pertur-
batio. Proinde haec secum omnia Majestas ejus dili-
genter reputet, ac quid horum velit potissimum, aut
si quid aliud velit præter haec Nobis discrete pensi-
bat. Nos amantissimi Patris Officium, à dulcissima
Filia Nostra, in nobis requiri nunquam patie-
mur. Haec sibi Majestas ejus firmiter de Nobis
polliceatur licebit, non fallemus opinionem illius.